Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2711

Quelle:
Copyright:

pro *uincit. Unum quodque de miraculis* pro *unum quoque.* Praeterea: *Quod longo poſt aperiens divinus Eſaias*, Codex: *Quod paulo poſt aperire pergens.* Item: *hoc a ſecreto Eſaias prodidit vaticinio*, Codex: *hoc a ſecretis ejus.* Item: *ſtellam hanc longe a ſummo coeli cardine coruſcantem*, Codex: *ſtellam haud longe* &c. Denique: *caro quam elegit, habitaculum ſibi fecit*, Codex: *et habitaculum ſibi fecit.* Omitto alia minoris momenti.

III. *fol.* 3. p. 2. *Lectio Sancti Evangelii Secundum Matheum. In illo tempore. Dixit ſymon petrus ad iheſum*; *Ecce nos reliquimus omnia* &c. Sequitur *Sermo* hujusmodi: *Grandis fiducia. Petrus piſcator erat. dies non fuerat* &c. Depromtus ex *Hieronymi Comment. in Matth.* L. III. c. 19. Edit. *Vallarſ.* T. VII. *col.* 150. usque ad haec verba: *quod vobis credentibus illi credere noluerunt.* Poſt verba *ſequuti ſumus te*, Codex interjicit: *Ac ſi diceret.* Habet item cum tot aliis Mſſ. *Socrates* pro *Crates.* Fragmentum hoc rurſus in II. *Lectiones* diſtinctum eſt, quae una cum *Fulbertianis Nonam* et *Decimam* conſtituunt. *Undecima*, quae ſequitur, excerpta eſt e *Bedae Homilia in Natali D. Benedicti*, quae occurrit T. VII. *Opp. Colon.* 1688. p. 332. f. *In hac quippe uita pro nomine eius laborantes — mortaliter geniti. Duodecimae* et ultimae Autorem ignoro. Agit ea de *duplici* Regeneratione, Reſurrectione et Adoptione. Itaque *Lectionarium* potius habemus, quam *Homiliarium.* Sed

IV. *fol.* 4. p. 2. *Sermo Athanaſii de Conſecratione Corporis et Sanguinis Domini.* Initium: *Vtrum ſub figura an ſub ueritate hoc miſticum calicis fiat ſacramentum. Veritas ait. Caro mea uere eſt cibus* &c. Nihil hic *Athanaſii*, ſed cento ex *Auguſtini, Cypriani, Ambroſii, Hilarii* &c. dictis, qui finit: *Qui enim peccare iam quieuit. communicare non deſinat.*

V. *fol.* 5. Brevis *Proſa* notis muſicis inſtructa hujus tenoris: *O peccatori ſolatium maria magdalena intercedere digneris ad dominum deum noſtrum pro nobis quia humanam fragilitatem non ignoras. Audi domina et uide et inclina aurem tuam, quia humanam* &c. Ut *Proſam* hanc ad *Gallias* et quidem ad Eccleſiam *Lingonenſem* referam, facit primo pervulgata olim opinio, *Magdalenam* cum *Lazaro* et *Martha Maſſiliam* adpulſos ibi vitam exegiſſe, dein Baſilica a S. *Deſiderio* III. ut in *Gallia Chriſt.* T. IV. *col.* 210. numeratur, *Lingonenſium* Epiſcopo et Martyre, teſte *Jac. Vignerio* in Compendio *Chron. Lingonenſ.* p. 13. ejus Divae honoribus fundata, demum, id, quod ſequitur.

VI. *fol.* 5. p. 2. Pars Officii memorati S. *Deſiderii* conſtans *Antiphonis Verſibus* et *Reſponſoriis* I. et II. *Nocturni*, unde quae oculos Lectoris nondum fugiunt, hic adſcribam. ℟. *Glorioſi deſiderii deuote colamus feſtum qui cum eſſet lingonum preſul in tempore inſectationis factus eſt forma uirtutis*